



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

X. De promotione episcoporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

Sed inde ab ultimis IV. sæculis plurimi presbyteri, præsertim ex ordine monachorum, hoc sibi veluti præcipuum sumere, ut in omnis generis ecclesiis, quoties adpellarentur, prædicarent, quum olim pastores ordinarii hoc numere fungerentur.

XI. BAPTIZANDI vocabulo omnium sacramentorum administratio involvi videtur. ^{baptizando.}
 Nam hæc presbyteris permessa est, duobus exceptis ac episcopo reservatis. Distinguendum tamen est. Baptismus, si urgeat necessitas, a quolibet Christiano, Eucharistia a quolibet presbytero administrari potest, excepta paschali & ultimo viatico. Pœnitentiam injungere non possunt, nisi qui ab episcopo speciatim veniam habent. Extrema unctio & benedictio nuptialis sunt pastoris loci, nec non baptismus solemnis. Atque hæc functionum amplitudo, quæ presbyteris tantam reverentiam olim conciliavit, novissimis temporibus pro ansa multiplicandi presbyteros arrepta est; quo ipso tamen viliores sunt redditi.



CAP. X.

DE PROMOTIONE
EPISCOPORUM.

I.

EPISCOPORUM dignitas curatius servata ^{Quid sit episcopus} est, quam presbyterorum, quia nullus episcopus ordinatus fuit, nisi ad vacantem ec-

clesiam. Vocabulum episcopi notat *inspectorem*, ut appareat, in ipsum solum omnem gregis curam derivari. Sæpe vocatur *Pastor*; veteribus *prepositus*; græce *πρωεσδς*, latine *presul*, *antistes*. Appellatur etiam *sacrificator*; græce *ιερευς*, latine *sacerdos*, quod nominis novissime cum nomine presbyteri commutatum est, simplicibus quippe presbyteris datum. Olim quoque vocati sunt *pontifices*; sed recentiores nonnulli hanc appellationem *Papæ* propriam facere satagunt. Ipsi olim, de semet ipsis loquentes, *servos* semet hujus vel illius ecclesiæ, sive *fideles & servos Dei* adpellarunt, quam formulam *Papa* retinet.

Jure veteri electus egregio ecclesiæ vocantis,

II. CHRISTUS ipse discipulos suos vocavit, & Apostolos elegit, quos voluit¹. E mortuis resuscitatus ad eos ait: *quemadmodum pater meus misit me, ita ego mitto vos*². Paulus ad *Asiæ episcopos* ait, esse eos a Spiritu sancto præfectos ecclesiæ Dei regendæ³, & ad Titum, quod eum reliquerit in Creta, ut per civitates presbyteros, quos mox episcopos vocat, ordinaret⁴. Denique ex traditione constat, episcopos semper ab aliis episcopis fuisse ordinatos. Equidem ad hunc actum vocabatur *clerus & populus*, ne pastorem acciperent ignotum aut ignarum⁵. Ad horum desiderium plerumque presbyter aut diaconus ejusdem ecclesiæ, diuturno ministerio, exacta virtute, scientia & caritate conspicuus, in cruciatibus constans, eligebatur, quem episcopi manuum impositione, precibus ac jejunio in-

auguratum in folio episcopali collocabant: quo pacto munere suo fungi cœpit ⁶.

1) *Marc. III, 13, 14.* 2) *Job. XX, 21.*

3) *Act. XX, 28.* 4) *Tit. I, 5, 7.*

5) *Can. apost. 1. can. Nic. 4. Sirmond. præfat. ad form. antiq. t. 8. Conc. p. 1860.*

6) *Cælest. ep. 2. c. 5. Leo ep. 84. ad Anastas. c. 5. et ep. 92. ad Rustic. c. 1.*

III. TESTIS est Cyprianus, qui ¹ inquit, episcopos vicinos se conulisse ad ecclesiam vacantem, elegisseque episcopum præsentem populo, cui notus esset. Et Julius Papa ² Gregorium, qui Athanasio suffectus est, taxaturus, inquit, hunc Antiochiæ ordinatum per XXXVI. dierum iter missum fuisse Alexandriam, ubi nec baptizatus, nec notus, neque vel a presbyteris, vel ab episcopis, vel a populo sit postulatus.

1) *ep. 67. al. 68.*

2) *epist. 1. 2. p. 306. D. hist. nostr. eccl. l. 12. n. 25.*

IV. POPULO Christiano post Constantini tempora aucto, omnium ordinum, nobilium, magistratum, monachorum, ratio fuit habenda; Cleri tamen præcipuæ hic semper partes fuere ¹. In regnis, e ruina imperii Romani natis, principum consensu opus fuit, qui quum viderent, quanta episcoporum esset inter novos subditos auctoritas, veluti cuncta suspecta haberent, non facile alios, quam quorum fides ipsis esset explorata, eligi patiebantur.

1) *LEO ep. 89. ad episc. Vien. c. 6.*

(quod probatur)

a clero & populo,

consensu
principis.

V. UNDE temporibus regum Merovingicorum & principio Carolingorum licet in Francia electionum schema obtineret; e regum tamen manu prorsus pendebant. Liberiores esse cœperunt sub Ludovico pio, talesque mansere per sæculum IX. ita tamen, ut sine *regum auctoritate* nihil fieret ¹.

1) Vid. *formul. antiq. promot. episc. t. 2. conc. Gall. t. 8. conc. general. p. 1864. Hist. eccl. l. 53. n. 33.*

Ratio e-
lectionis
in veteri
regno
Franco-
rum.

VI. DEFUNCTO episcopo, clerus populusque misit, qui Metropolitano id nuntiarent, & hic, qui regi. Cujus jussu misit hic episcopum illius provinciæ, ut visitaret ecclesiam vacantem, promoveret electionem, videretque, ut cuncta fierent *canonice*, de qua ipse metropolitanus clerum populumque amplissimis literis monuit. Visitator ille episcopus, clero & populo collecto, prælegi jussit loca Pauli & canones, quibus episcopi dotes modusque electionis continentur. Quæ ut observarent, singulos ordines, presbyteros, ceteros clericos, virgines, viduas, nobiles & ceteros laicos, cives videlicet, sigillatim admonuit. Monachorum præcipua ratio habita. Nec canonici solum, sed & clerici urbani & rustici vocati. Jejunium trium dierum continuum cum precibus publicis & eleemosynis præcessit electionem, qua, quoad ejus fieri potuit, semper clericorum quisquam e gremio ecclesiæ illius ad episcopatum evectus est.

VII. ELECTIONE peracta, decretum electionis sigillo præcipuorum e clero,

populo, monachisque munitum, Metropolitano missum fuit, qui omnes illius provinciæ episcopos convocavit in urbem ecclesiæ vacantis. Singulis comparandum fuit; sed qui per valetudinem aliaque impedimenta venire non poterant, ii per literas electionem adprobarent. Omnium enim consensu¹ ac trium assistentia opus fuit². Hoc veluti concilio cœcto, metropolitanus electum interrogavit de natalibus, de vita ante acta, de adscensu per ordines, de functionibus, ut certior fieret, si quod subesset vitium. Exploravit porro doctrinam; postulavit fidei professionem, eamque in scriptis reddendam. Si cuncta bene se haberent, personaque videretur idonea; inaugurationi diem præfixit. Sin secus, si parum idoneus; si electio ambitu vel pecunia extorta, Concilium irritam eam declaravit, aliamque suscepit.

1) per Concil. Nic. c. 4.

2) Can. Apost. I.

VIII. CONSECRATIONIS ritus Ritus consecrationis. idem ferme fuit, qui hodie. Metropolitanus consecrato scriptum tradidit, quo singulæ officii partes explicantur, tamquam pater & doctor episcoporum ab ipso ordinatorum. Ipse e suis scriniis exempla canonum suppeditabat episcopis, & ab iis in omni causâ ardua consulebatur. Si extra *vocantem ecclesiam* confirmatio facta, metropolitanus literas eo misit, quibus episcopum commendavit suscipiendum. Regi autem singuli actus, præsertim *electionis* & *confirmationis* significabantur, quoniam ex-

cludere poterat, quos non probabat. Hæc electionum facies per occidentem fuit sæculo IX. & X. quo exeunte canonici ecclesiarum cathedralium electiones ad se trahere conabantur: quod ex concilio Lateranensi an. 1139. patet, cujus c. 28. his ausis obviam itum est¹.

1) Vid. THOMASS. *discipl. eccl.* p. 4. l. c. 40.

Canonici ecclesiarum cathedralium electiones, episcopi usurpare incipiunt sæc. XIII.

unde Romam delatæ lites.

IX. PRINCIPIO sæculi XIII. capitula, excluso clero & populo, elegerunt, & metropolitani, inconsultis suffraganeis, confirmarunt electos episcopos. Utrumque patet e concilio Lateranensi an. 1215. cujus c. 24. & 26. de hujusmodi electionibus statutum est.

X. HÆC decreta minoris erant auctoritatis & aliquando injustiora, quam concilij episcopalis judicia. Inde frequentissime Romam appellatum, ipsique electi sæpius directo Papam pro confirmatione & consecratione adierunt. Quare dicendum de ratione electionum secundum jus *novum* & secundum *decretales*.

Jure novo episcopus 1.) eligitur vel per inspirationem vel per compromissum) vel per scrutinium.

XI. DISTINGUENDI autem sunt actus *electionis*, *confirmationis* & *consecrationis*. Electio vocatur *postulatio*, si a canonicis eligitur, qui sine *dispensatione* episcopus esse nequit, v. gr. si sit episcopus; si non sit in sacris: si illegitimo connubio natus. His enim casibus non tam eligunt, quam *postulant*, ut superior episcopum illum det, quem eligere non possunt¹. Electio fit tribus modis, *scrutinio*, *compromisso*, *inspiratione*². Primis sæculis

lis

lis plura divinæ inspirationis exempla occurrunt, cui comparantur hodie, quæ unanimibus suffragiis sine præcedente deliberatione fiunt. Electio per *compromissum* fit, si univ-
ersum collegium paucis imparis numeri, veluti
tribus, quinque vel septem canonicis potesta-
tem eligendi permittit: quibus intra fines
compromissi se tenere incumbit. Electio per
scrutinium est omnium frequentissima, atque
hoc modo peragitur.

- 1) c. ult. X. de postul. junct. gloss.
- 2) Concil. Later. IV. c. 24. & 42.

XII. QUI jus eligendi habent, ii omnes <sup>quomo-
do per
scruti-
nium?</sup> stato die vocandi sunt, ut absentes vel ipsi ve-
nire, vel mandata mittere possint, ne electio
clandestinitatis accusari valeat ¹. Intra tres
menses a die vacantiae electio suscipienda est,
ne capitulum protrahat interpontificium, quo
diutius regnare possit ². Interim publicæ pre-
ces instituuntur. Die præstituto electores
congregati in ecclesia Missæ de *spiritu sancto*
interfunt, eucharistiamque accipiunt; juran-
tes, se dignissimum electuros, neque eum suf-
fragio juturos, qui ambitus suspectus sit. Suf-
fragia olim data sunt viva voce; post in sche-
dis complicatis, in calicem vel aliud vas im-
missis, quæ ab iis, qui *scrutatores* vocantur,
colliguntur ac comparantur. Isque electus de-
claratur, qui non solum *majoris*, sed & sanio-
ris partis suffragiis nititur.

- 1) Concil. Basil. Sess. 12.
- 2) c. 41. X. de elect. ex concil. Later. IV. c. 23.

quæ lites?

XIII. ELECTIONE publicata, variare non licet. Singula actus momenta rediguntur in instrumentum, sæpe non sine contentione¹. Sunt enim, qui protestentur; sunt, qui reluctentur, qui appellent, ac haud raro electores discordant. Electus intra mensem sub pœna amissionis jurium suorum consentiat necesse est. Insecuto trimestri petenda est à superiore immediato, Metropolitanano, primate vel Papa, pro dignitate vacantis ecclesiæ, confirmatio².

1) c. X. 18. de elect. 2) c. 6. X. de elect. in 6.

quis iudex?

XIV. METROPOLITANUS citat, quorum interest, scilicet, simul electos vel *contradicentes* specialiter, ceteros *edictaliter*. Terminò præterlapso, ad iudicium accingitur sive rogatus a partibus, sive ex officio, si contradictor non adest. Hic examinat qualitates electi, modum electionis, ubi, si contradictor adest, longum negotium texitur¹. Possunt enim esse plures contradictores, quorum quisque tot causas nullitatis injicere potest, quot irregularitates in electo & singulis electoribus ac ipso electionis ordine deprehendit.

1) c. 44. de elect.

quando metropolitano provident?

2.) confirmatur

XV. Si electio nulla declaratur ob *vitiolum electorum*, metropolitano competit jus providendi ecclesiæ; ut eligentes culpæ suæ pœnas luant. Si ipsorum nulla sit culpa, veluti si princeps electum improbet, novam electionem suscipiunt. Si electio *confirmatur*, superest, ut electus consecratur. Interim ea ha-

bet omnia, quæ non sunt *ordinis*. Sed & a metropolitani vel primatis sententia, in utramvis partem lata, appellare licet: undè novum iudicium. Istæ appellationes generatim ad papam deferuntur, ex quo ALEXANDR. IV. *concil. Lugd. II. c. 9.* retulit eas inter *causas maiores*. Et solo lapsu sex mensium jus providendi ad ipsum devolvitur ob negligentiam eorum, penes quos erat vel eligendi vel confirmandi potestas.

XVI. QUIBUS constitutionibus factum est, ut sæculo XIII. & XIV. plerorumque episcopatum provisiones devolventur ad Papam, siue quod electiones intra terminum non fierent, siue quod vel electiones vel confirmationes essent vitiosæ: quarum infinita exempla occurrunt in decretalibus¹. Præterea plurimæ electiones manifesto ambitu ac largitionibus corrumpebantur, præsertim in provinciis, ubi Episcopi erant domini sæculares. Sæpe Principes eas interceperunt; sæpe seditionibus & violentia turbata, in bella, & clades vel saltem in lites immortales desinebant. Hæ turbæ Pontificibus ansam dedere reservandi sibi nonnumquam jus providendi Ecclesiis, quæ maxime periclitabantur. Et ab his processum est ad *reservationes generales* in certis casibus, veluti, si quis Episcopus diem obiisset in curia Romana; si sacram purpuram, si beneficium incompatible nactus esset. Ad ultimum Joannes XXII. in universum omnes Ecclesias cathedrales, quæ vacassent, sibi providendas reservavit², quod ipsum nihil aliud erat, quam ele-

unde Pa-
pa provi-
deat!

ctionum suppressio. Ejus loco tamen, ut huic defectui mederetur, non nisi in *consistorio*, cardinalium nutu, prævioque diligenti examine, Episcopatus contulit.

1) t. 1. X. de elect. tit. eod. in 6. o) reg. cancell. 2.

Abusus
provisio-
num ge-
neralium
in ponti-
fice im-
probatas,
&

nova sta-
tuta per
regna
Christia-
na.

In Fran-
cia rex
nominat;

XVII. ISTAE reservationes genera-
les referebantur inter abusus, qui tempore
schismatis invaluerunt. Concil. Basil. Sess. 12.
electiones restituere tentavit, ejusque decre-
tum insertum est *pragmatica Bituricensi*: displicuit tamen Papæ, quippe in medio concilii & Eugenii IV. dissidio natum. Ex illo tempore provisiones pro provinciarum varietate fuere variæ. Per Italiæ maximam partem Papa Episcopatus confert, cui velit; in Francia non nisi iis, qui a rege *nominantur* per concordata an. 1516. quod nominandi jus Hispaniarum rex ac nonnulli alii principes exercent speciali venia pontificis, quam ad dies vitæ impetrare solent. In Germania per concordata an. 1447. electiones conservatæ usu obtinent. Mihi propositum est ea, quæ in Francia fiunt, sola persequi.

XVIII. IN Francia igitur Rex nominat^r Theologiæ vel jurium sive doctorem sive licentiatum, annos natum XXVII. atque iis dotibus præditum, quos canones requirunt; idque intra semestre a tempore *vacantia* spatium. Quod ubi novo trimestri negligitur, ad pontificem pertinet provisio. Per statutum Blesense *art. 1. 2.* annus regi datus erat, ut eo diutius maturiusque deliberare posset. Si

quem elegit, antequam *nominationis* formula literis conciperetur, Episcopus loci, in quo *nominandus* ultimo quinquennio commorabatur, & capitulum Ecclesiæ vacantis, mores vitamque; aliusque Episcopus & duo Theologiæ doctores doctrinam & scientiam ejus explorarunt riguroso examine instituto. Hoc conforme fuit concilii Tridentini decretis², quo ad concilium provinciale rejecta est de hoc scrutinio statuendi potestas.


1) per Concordat. tit. de election. 2) Sess. 24. c. 1.

XIX. NOSTRIS moribus rex nominat, quando lubitum est, nominatusque ratione vitæ ante actæ ab Episcopo ultimi domicilii æque examinatur, ac ii, qui ad ordines adspirant. Episcopus vitæ ejus adjicit *professionem fidei* ab ipso editam ac descriptionem vacantis Ecclesiæ, atque hæc omnia mittit Romam. Rex eodem mittit tres Epistolas, quarum prima *papæ*; altera *regis legato*; tertia *cardinali protectori nationis Francicæ* redditur. Hic adscitis tribus aliis cardinalibus perpendit acta ad nominationem pertinentia, nominatumque dignum Episcopatu judicat. Denique in consistorio ejus prima vice, quod *preconisare* vocant, mentionem facit, & in consistorio subsequenti de eo refert, quod *propositionem* appellant. Interstitium illud cardinalibus datur, ut interea dispicere possint, dignus sit, nec ne. Pontifex, postquam relatum est, suffragia colligit & decretum prodit, quo providetur nominatus. Atque hæc *provisionis* forma imitatur ex parte naturam electionum, quæ purior

nomina-
tum papa
commen-
dat.

a quo
provide-
tur.

ribus temporibus in concilio Metropolitanis ac suffraganeorum, flagitante clero ac populo, suscipiebantur; atque idem juris tribuit, quod confirmatio. Post *decretum provisionis* bullæ pontificiæ adornantur, quibus acceptis, electus regi fidem jurejurando obstringit, & ab eodem literas patentes accipit, quas una cum epistola donationis fructuum, durante vacantia debitorum, camera rationum offert consignandas. Quo pacto liberatur a regalia, & possessionem adipiscitur. Consecratio autem sequenti trimestri suscipienda est.



C A P. XI.

D E E P I S C O P O R U M
C O N S E C R A T I O N E .

I.

3. conse-
cratur.

RITUS consecrationis satis innuit, quæ doctes spectentur in Episcopo, quæve ejus functiones sint. Consecratio die dominica in *propria* electi *Ecclesia* vel saltem in eadem provincia, quoad ejus fieri potest, peragenda est^r. Consecratorem decet duos minimum Episcopos *assistentes* habere, vigiliaque præcedenti æque ac electum jejunare. Consecratori coram altari sedenti *assistentium* Episcoporum major electum offert, dicendo; *Postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hunc presentem presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.* Ille non, ut in electionibus, num dignus sit; sed id solum quærit, *an mandatum habeat apostoli-*